DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

INAUGURALIS

DE

CARCINOMATE,

MAMMAS PRÆCIPUE AFFICIENTE.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS

DE

CARCINOMATE,

MAMMAS PRÆCIPUE AFFICIENTE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BYRON, A. M.

ANGLUS,

COLL. REG. CHIR. LOND.

NECNON

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

IPSIS KALENDIS JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Illud ante omnia ſcire convenit, quod omnes Medicinæ partes ita innexæ ſunt, ut ex toto ſeparari non poſſint.

CELSUS.

GLASGUÆ:

EXCUDEBANT J. ET J. SCRYMGEOUR,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1803.

PATRI CARISSIMO,

PIETATIS SUÆ QUAM MAXIMÆ;

NECNON

AMICO VALDE COLENDO,

THOMÆ FROST,

ARMIGERO,

OBSERVANTIÆ SUÆ HAUD LEVIS,

HANC DISSERTATIONEM

PRO PIGNORE QUIDEM EXIGUO

OFFERT AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

INAUGURALIS

DE

CARCINOMATE,

MAMMAS PRÆCIPUE AFFICIENTE.

Auctore Joanne Byron.

PROŒMIUM.

Hunc morbum, ægros miferos multis dirisque malis vexantem, indolis ferè infanabilis effe, ab experientia veterum infaufta, et recentiorum haud multò feliciore, fatis fuperque conftat. Plurimi Medici et Chirurgi haud minùs doctrinâ quam peritiâ infignes, per fpatium bis mille annorum, plurimum operæ contulerunt, ut ejus naturâ caufifque patefactis, methodus medendi minùs fallax inventa fuerit; quâ regnum hujufce tyranni illachrymabilis evertatur, malaque exinde provenientia in pofterum

A

fummoveantur. Hi conatus verò, fato meliore digni, haud benè evenêre; nam, noftris etiam temporibus, Carcinoma vires tam naturæ quam medicinæ vincit, ægrotantibus miferis cruciatus immanes femper inferens. Omnium morborum forfitan eft nullus, cujus natura minùs intellecta, aut methodus curandi magis incerta fit, quam Carcinomatis. Nec Empirice, illa medicina indocta et temeraria, has tenebras et confufionem ullo modo expedivit, fed potiùs, ut par fuerat expectari, multùm auxit. Hic morbus nihilominus pro Differtationis Inauguralis argumento mihi arrifit, nam morbum dolorificum lenire haud minùs, quam malum levius fummovere, dignum medico videtur; neque ineptum foret in animo verfare, quomodo morbum adeo crudelem curare debeam.

Carcinoma in homines ætatis omnis, præfertim provectioris, fuos impetus facere folet. Partem corporis omnem adoriri gaudet; hinc ejus indoles interna, faciesque externa multùm variatur; pro ut pars affecta fabricæ et naturæ diverfæ fit: Carcinoma igitur nunc duritiei morbidæ, nunc tuberis carnofi, nunc verrucæ, nunc ulceris formam induit*. Su-

* Pearfon's Practical Obfervations on Cancer, p. 4.

perficies verò, quæ humores ſecernunt, glandulæque ſecernentes (nam, ut quibuſdam placet, glandulæ lymphaticæ non per ſe, ſed ex viro reſorpto, afficiuntur), præ cæteris corporis partibus huic malo opportuniora ſunt. De Carcinomate verò mammas afficiente præcipuè hic loci diſſerere nobis in animo eſt.

Mammæ muliebres ferè ſolæ hoc morbo afficiuntur, nonnunquam verò mammæ in viris Carcinomate affectæ ſtadia morbi omnia ſubeunt, ad extremum cultro excidendæ *. Glandulæ Carcinomate affectæ ſub initio ferè ſemper duriores evadunt; hinc *Scirrhoſæ* dicuntur: minùs rectè quidem, nam glandulæ præter ſolitum duræ fiunt ex aliis morbis naturæ prorsùs diverſæ, et curationem diverſam poſtulantibus. Hinc eſt periculum haud leve, ne medicus in errorem tam in judicando de natura morbi, quam in remediis adhibendis incidat. Multùm igitur deſiderandum eſt quod daretur indicium aliquod certum propriumque, quo alii

* Heiſter's Surgery, p. 227. vol. 1.—Le Dran's Operations in Surgery, p. 292, ex editione Gataker.—Heberden's Medical Comment. p. 296.

Scirrhi glandulas afficientes ab illo in Carcinoma jam abituro ritè diſtinguantur. Hoc tamen non penes nos eſt; morbus itaque non à definitione ſimplice ſed potius hiſtoriâ generali dignoſci poteſt.

HISTORIA MORBI.

Carcinoma ſuum impetum primum admodum inſidiosè ſæpè facit; nam aliquid duritiei haud rarò aut clam ægram aliquamdiù mammam occupat; aut incommodum vel minimum vix, ac ne vix quidem affert. Interea ægra nihil mali timet, dum monſtrum horrendum magis indies creſcit, viribus medicinæ victu haud facilè citò evaſurum. Nonnunquam verò gradum corripit, perque omnia ſua ſtadia ad ægrotantis internecionem curſu incitato feſtinat.

Ad initium in mamma conſpicitur tumor parvus, durus, immobilis, benè circumſcriptus, indolens, cuti concolor. Interea effluit haud rarò è papilla aut areola circumjacente aliquid humoris ſeroſi vel ſanguinolenti. Hoc aut *primum* morbi *ſtadium*, aut apud quoſdam auctores *obſtructio ſimplex* nominatur. Poſt ſpatium aliàs longum aliàs breve tumor

ad molem majorem crescit, partibus vicinis adhæret, formæ inæqualis fit, et demum sensu præditus est.

Primum ægra de pruritu levi, tandem de dolore huc et illuc intra tumorem, more jaculi, celeriter movente, conqueritur. Morbus nunc magis externè se prodit, nam venæ sub cuti largiores quam solitæ fiunt, cutis ipsa passim inflammatur, et colorem purpureum vel lividum induit; papilla quoque sæpè introrsùm recedit, cutisque circa eam in rugas vel plicas contrahitur. Morbus nunc *Stadium Secundum* explevit, et potiùs Carcinoma strictiùs ita dictum, vel Scirrho-carcinoma appellatur. Sanies tenuis acrisque, quæ huc usque sub maculis rubris vel lividis latebat, sibi viam extrorsùm jam facit, ulceraque mali moris ostendit. Carcinoma sic dictum *Occultum* hoc modo in *Apertum* mutatur. Dolor interea non remittit, potiùs mirum in modum intenditur, et sensum nunc lancinationis nunc caloris urentis refert. Ulcus semper faciem cum excrescentiis fungosis, et foveis altis inæqualem; labiaque plerumqne crassa, dura, sensu exquisito prædita, sæpe extrorsum flecta, nonnunquam præsertim in initio inversa, aliquando etiam serrata os-

tendit; humoremque tenuem, ichorofum, varii coloris, fætore ingrato, fæpe intolerabili, partes vicinas rodentem *, fundit. Sanguis ipfe quoque haud rarò copiosè erumpit, adeo ut ex hac caufa folâ interdum ægra moritur. Ulcus interea nonnunquam fpeciem fallacem induit, nam cruftâ magnâ, fphacelo correptâ, omnino feparatâ, fuperficies nova, lævis, ad vifum fana, in confpectum prodit. Medicus verò nimium ne credat colori, quia ulcus adhuc fuam indolem virulentam priftinam reverâ fervat †, et nunquam pus fanum præbet. Ex loco affecto excurrunt lineæ duræ, glandulis aliisque partibus vicinis affixæ, antiquioribus in libris *radices* feu *chelæ Cancri* appellatæ. Hæ reverà funt vafa lymphatica indurata, quæ una cum glandulis ex viro reforpto, diverfis morbi temporibus, affici incipiunt. Hoc præfertim accidit, cum morbus, ut interdum foleat in latebris agere gaudet, et exulceratio interna, cute adhuc incolumi,

---

* Humor effufus apud quofdam auctores adeo acris fuiffe fertur, quod linteola resque alias applicatas, inftar cauftici, confumere potuerit. Hoc tamen fortafsè fictum, certè perrarum eft.—Heifter's Surgery, p. 229. vol. 1.—Van Swiet. Com. on Boerrhaave's 499 Aphorifm.

† Pearfon's Principles of Surgery, p. 217.

latè progreditur*. Tumor in mamma tantum unicus plerumque, plures verò interdum oriuntur. In eodem quoque tumore ulcera pluria, aliud poſt aliud ſe aperiens, ſæpè formantur; exque his foraminibus ſingulis fungus, aſper, ſcaber, coloris cærulei, aut atri ſe prodit. Ulcera adeo tenera, laceratuque facilia ſunt, ut à tactu leviſſimo ſanguinem tenuem fundant. Corpus univerſum, his malis urgentibus, in conſenſum trahitur. Poſtquam mamma ſcirrho correpta fuerit, ulceratione jam inſtante, ingruit aliquid febris, fluxu humoris progrediente, ſtatim ceſſuræ. Poſtea verò, ichore præſertim copiosè fluente, febris ſic dicta Hectica cum pulſu frequente, admodum duro, parvo, adoritur; ægraque dolore diuturno, ſudoribus nocturnis, alvi fluxu exhauſta pro vita miſera mortem lætam mutat.

DE MATERIÆ CANCROSÆ INDOLE CONTAGIOSA.

Utrumne effluvia, quæ ab ulcere carcinomatoſo avolant, contagioſa ſint; vel humor ex ulcere effuſus corpori alieno admotus, Carcinoma gignere

* Richter's Medical and Surgical Obſervations, p. 24. editione Spens.

poſſit, parum inter medicos conſtat. " Adrianæ," ait Tulpius, " Lambertæ, provectæ ætatis, poſt " devoratam aliquot annorum moleſtiam, ulcera- " tum mammæ Carcinoma, ad eum pervenit pu- " tredinis gradum: ut halitu ſuo inficeret famu- " lam, continenter operam ipſi navantem; et qui- " dem eo majore labe, quo diutiùs ſuppetias tule- " rit ac familiariùs cum illa vixerit. E quibus " conceptæ perniciei ſcintillis tandem exortum in- " gens incendium; quod ipſam non minus, quam " Dominam ſuam, peſſumdedit: inſidente utrius- " que pectori, ac alis, tam fœdo ac inæquali ulce- " re; ut aliquamdiu animi penderem, utra illa- " rum graviori excarnificaretur ſævitiâ.

" Quid quod mihi ipſi, ſolus fœtentis hujuſce- " modi carcinomatis intuitus, præter inſignem cor- " dis defectum, aliquando guttur uſque eò exul- " ceravit: ut non mercurio præcipitato tantum; " verum etiam forfice cottidie opus fuerit, ad au- " ferendas cruſtas, à depaſcente veneno in fauci- " bus excitatas. E quibus vel cœco apparet, ul- " ceratum cancrum non ſolum cominùs, verum " etiam eminùs contagium ſuum diſſeminare: ac " proinde ſatius eſſe, fidem habere experimentis

" indubitatis; quam incautæ juventuti illudere, " frivolis argutiis, atque excogitatis captiunculis: " ne dicam ſubtiliter diſſerendo aditum interclu- " dere, quo minus perſpicax mentis acies diriga- " tur ad meliora, uſu abundè comprobata *." Mihi verò perſuaſum eſt, Tulpii aliorumque auctoritate gravi nihil obſtante, minimè certum eſſe, quod effluvia talia reverâ contagioſa ſint. Contrà, ſi nobiſcum reputemus, morbum minimè rarum eſſe, Chirurgos aliosque perſæpè effluviis talibus exponi, paucaque eſſe exempla, in quibus morbus ab hac cauſa oriri dicatur; licet nobis fortaſsè in alteram ſententiam libenter ire. Ex auctoritate quoque ſatis gravi haud nefas eſt dicere, quod morbus Ancillæ, ſi reverâ Carcinomate correpta fuerit, minimè halitui ex hera attributus fuiſſe debeat; quodque guttur Tulpii ipſius Carcinomate vero immune fuiſſet. Attamen propter teſtimonia minùs infirma, et analogiam admodum plenam haud abſimile videtur, ichorem ex ulcere carcinomatoſo fluentem, in corpore alieno eundem morbum excitare poſſe. Exempla tamen, quæ ad hanc ſententiam confirmandam à quibuſdam auctoribus,

* Obſervationes Medicæ Nicolai Tulpii, lib. 4. cap. 8.

præſertim D°. Gooch * prolata ſunt, haud omni ex parte ſufficiunt. Fœmina, hoc Chirurgo teſtante, ferè ſexagenaria, de mamma ſcirrhoſa, glandulisque axillaribus eodem morbo correptis, conquerebatur. Cum tantum annos tres nata, liquorem quemdam, quo ulcus cancroſum lotum fuerit, biberat; die circiter decimo quarto poſt, in lingua ejus oreque interno apparuerunt ulcera ſerpentia malique moris, quæ poſtea difficulter ſanata fuerunt. Annos poſtea viginti, ex contuſione in caſu recepta propè articulum coxarium ortus eſt abſceſſus, qui quoque diu ſanari refugit. Poſt annos quindecim integræ valetudinis, ſeſe prodidit in mamma tumor parvus, durus, fluxu menſtruo poſt intervalla fluente, tardè creſcens. Cum verò catamenia redire deſiverant, molem magnam celeriter adeptus, mammâ totâ correptâ, ad glandulas in axilla poſitas ſerpſit, nunquam verò ante ægræ mortem in ulcus apertum abiit. Tumor hicce, D°. Gooch judicante, à liquore poto ſuam originem duxit, minus certè quidem ut mihi, omnibus ritè perpenſis, videtur. Exemplum alterum ab eodem prolatum, ſcilicet, fœminæ, quæ à ſuæ ſoro-

* Gooch's Surgery, p. 127. vol. 2.

ris ore, usu tubi pro tabaco, morbum accepit, haud minùs patet iisdem objectionibus à Pearson illo Chirurgo doctissimo peritoque enumeratis *. Idem de aliis exemplis ad hanc sententiam confirmandam prolatis dici potest. Inter omnes verò constat, effluvia ab ulcere cancroso avolantia interdum effectus haud gratos in corporibus aliorum præstitisse †; ichoremque carcinomatosum, parti cuticulâ opertæ admotum, dolores lancinantes brevi durantes dedisse ‡; parti verò, cui cuticula abrasa sit, admotum, ulcera speciem cancrosam præ se ferentia fecisse §. Annon hæc ulcera, ut quibusdam placet, revera indole cancrosa prorsùs careant, probatu, ut mihi videtur, perdifficile est. Experimentum, quo hoc certissimè dirimendum est, insitio nempè, nefas est, nam quis, proh facinus! tali periculo ullum objicere audeat? Canes huic morbo obnoxii esse dicuntur, supraque his pericula (cum jure, necne non dicere ausim) insitionis facta sunt. Ex his periculis verò lis non dirimitur, nam auctores prop-

* Pearson's Practical Observations on Cancer, p. 26.

† Pearson's Principles of Surgery, p. 222.

‡ Le Dran's Operations in Surgery, p. 289.

§ Pearson, Loco jam nunc citato.

ter dolores animalium, fœtoremque ulceris intolerabilem adducti ſunt, ut morte præmaturâ miſeriis animalia eriperent *.

DE DISSECTIONE TUMORUM.

DISSECTIO tumorum ſcirrhoſorum nihil lucis ad naturam eorum detegendam affert. Partes omnes diverſæ plerumque in unam rudem indigeſtamque molem permiſcentur. Reperiuntur quoque guttæ paucæ humoris ſubflavi vel fuſci nunc propè ad tumoris centrum, nunc propè ad ambitum†. Ex commentis de cauſa morbi proximâ nuper prolatis, dicitur, tumorem ſemper ex hydatidibus conſtare ‡. Hoc tamen à multis haud parvi nominis negatur.— "In the parts which have become ſcirrhous, I have "commonly obſerved," ait Dr. Baillie, "the "ſtructure to conſiſt of a very firm light brown "ſubſtance, interſected by membranous or liga- "mentous ſepta, which run in various directions. "The membranous ſepta are more numerous, "and of greater thickneſs in ſome caſes than in

* Peyrilhe's Diſſertation on Cancerous Diſeaſes, p. 45.
† Pearſon's Principles of Surgery, p. 213.
‡ Adams on Morbid Poiſons, p. 184.

" others. There is occaſionally mixed with this " ſtructure, a cartilaginous ſubſtance. The whole " ſtructure I have ſometimes known to be cartila- " ginous, reſembling very much a piece of com- " mon cartilage, which had been previouſly ren- " dered ſoft, by being ſteeped for ſome time in a " diſſolving fluid."

" Ulcers are often formed in ſcirrhous ſtruc- " tures, and fungous excreſcences occaſionally " grow from them. Cyſts, containing a kind of " ſerous fluid, are ſometimes found in ſcirrhous " ſtructure; but they ſeem to me frequently want- " ing. They occur, I believe, moſt commonly in " the breaſts,————and theſe glands, in a ſcir- " rhous ſtate, I have had few opportunities of exa- " mining. From what I have obſerved, I ſhould " be inclined to believe, that cyſts are only form- " ed in a ſcirrhous ſtructure, but are not eſſential " to it. In this, however, I may be miſtaken; " and it may be found, by a more minute obſerva- " tion, that the formation of cyſts always conſti- " tutes a part of a ſcirrhous ſtructure*."

* Letter to Dr. Adams.

DE CARCINOMATIS INDOLE HÆREDITARIA, SCROPHULOSA, ET LOCALI VEL GENERALI.

Carcinoma à quibusdam auctoribus pro morbo hæreditario et scrofulæ affine habetur: illa verò sententia rationibus satis certis prorsùs carere, hæc rebus omnibus in morbo observatis abhorrere videtur. Nullum ab auctoribus (saltem cum consensu omnium), datur temperamentum, quod huic morbo homines magis proclives reddit. Satis quoque constat Carcinoma perraro in familiis grassari, sæpeque in fœminas, quarum cognitæ morbo immunes vixerant, adoriri gaudere. Hinc Carcinoma non pro morbo hæreditario haberi placet. Major adhuc tamen lis est, utrum Carcinoma à totius corporis labe, sive vitio tantùm locali oriatur. In sententiam illam medici plerumque, in hanc contrà Chirurgi potiùs ire solent. Proclivitas Carcinomati in variis corporis partibus eodem ferè tempore, et morbus, parte affectâ excisâ, in aliis vicinis vel etiam remotis recrudescens, sententiæ priori favent; si contrà animadvertatur fœminas multas, post excisionem morbo incipiente, vel etiam admodum provecto factam, ad ultimam

vitam, auctoribus omni fide dignis teſtantibus, Carcinomate immunes vixiſſe, magis ſententiæ poſteriori favere placet. Hæc lis, nempè, utrum Carcinoma indole universâ vel locali ſit, ſummâ attentione digna cenſetur, quippe quæ proximè ad medicinam practicam ſpectat, nam ſi morbus è vitio generali ſuam originem duxerit, quibuſdam ſuadentibus, à cultro inutili crudelique abſtinendum eſt; ſi è locali tantum, ad exciſionem omni ſpe confugiendum eſt. Lis verò hæcce ab auctoribus nondum dirimitur, nec diremptu facilis videtur; nam, multis rebus in Carcinomate obſervandis probè perpenſis, perdifficile videtur, utrum claſſi localium vel generalium referri debeat*: et de operationum uſu ab experientia ſola judicandum eſt. Non noſtrum eſt tantas componere lites; quæritur tamen, ſi Carcinoma labes generalis ſit, cur non eâdem fiduciâ, eodemque ſucceſſu, ac in morbis aliis generalibus, Hydarthro, verbi gratiâ, ſcrophuloſo, cultrum non adhibendum eſt: ſi contrà tantum vitium locale ſit, cur exciſioni nimium fidendum eſt, quoniam adhuc ſint partes aliæ ejuſdem fabricæ indoliſque; adhucque vigeant cauſæ morbi ex-

* Pearſon's Principles of Surgery, p. 231.

citantes, quæ, longo poſt tempore, partes corporis etiam remotas in labem cancroſam trahere potuerint?

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causæ Carcinomatis ſic dictæ excitantes permultæ ab auctoribus annumeratæ ſunt: maximè eas, quæ ſæpiùs certiùsque morbum inducunt, leviter percurrere ſatis erit. Referri poſſunt ad duo capita, quorum alterum cauſas circuitum ſanguinis afficientes, alterum injurias vi externâ illatas comprehendit. Hæc in locum affectum tantum, illa in corpus totum ſaltem in initio ſuos effectus edunt.

Ad claſſem priorem referri poteſt fluxûs muliebris defectio, ſive natura huic fines impoſuerit, ſive morbus repreſſerit. Ab obſervationibus Dionis patet, ex viginti fœminis Carcinomate correptis ſexdecim ſemper inter annum quadrageſimum quintum et quinquageſimum in morbum incidere. Virgines religioſæ, hoc auctore in ſuo itinere per Galliam obſervante, præſertim ſi earum menſes ſive ex natura aut morbo defecerint, huic malo præ cæteris obnoxiæ ſunt. Fertur quoque fœminas in-

nuptas præ nuptis, liberos enixas præ non enixis, ſæpiùs Carcinomate correptas eſſe*. Hùc etiam referuntur affectus deprimentes, veluti metus, mœror, ſimilesque; vita deſes, lac in mamma coactum vel repulſum, inflammatioque, ut quibuſdam placet, in ſcirrhum nonnumquam tranſiens. Ad alterum genus ictus preſſuraque diuturna pertinent. Hic tamen confitendum eſt, morbum interdum oriri, cum nihil præter ſolitum culpari poteſt.

DE CAUSA PROXIMA.

De cauſa Carcinomatis proximâ commenta benè multa prolata ſunt, haud verò à medicis ſaltem doctioribus plurimi æſtimata; nam eorum ſingula fautores perpaucos adipiſci potuerunt. Quantulum de hac re notum ſit, elucebit, ſi etiam leviſſimè commenta illa attingerimus. Obſtructio fautores multos adepta fuiſſe videtur; hæc verò obſtructio non ſemper ejuſdem indolis fuit. Veteres medici, et quidem è Recentioribus atram bilem in mamma depoſitam culpaverunt; de hac verò nihil ampliùs dicendum eſt, quoniam commenta antiqua circa atram bilem jamdudùm in pace requievêre.

* Heiſter's Surgery, p. 229, vol. I.

Quidem auctores acori corrodenti mala dira in Carcinomate obſervata attribuerunt; perperam quidem, nam neque argumenta veriſimilia, neque ſymptomata obſervata talem acorem ſubeſſe oſtendunt. Hâc verò de acore ſententiâ rejectâ, prolata eſt alia prorsùs contraria, nempè, quâ Carcinoma ſali alkalino cauſtico tributum eſt; huic quoque opinioni objiciuntur multa haud dilutu facilia. Lympha quoque inſpiſſata, quæ morando in ſuis vaſis magnam in putredinem proclivitatem paulatim acquirit, à quibuſdam pro morbi cauſa habita eſt. Alius quidem auctor *, qui huic morbo multum attentionis dedit, et quo in poſterum non immedicabilis eſſet, ſummâ ope niſus eſt, contendit cauſam Carcinomatis proximam nihil aliud eſſe quam inſecta eorumve ova ex aere in corpus recepta, quæ citiùs ociùsve irritationem, dolorem, omniaque dira morbi ſymptomata excitant. Hoc verò commentum, etſi, teſtante ejus auctore, antea prolatum, multisque in morbo obſervatis firmiter fultum fuiſſet, nunquam apud Pathologos, ut videtur, multùm invaluit. Hydatides denique pro cauſa morbi proximâ habitæ ſunt ab auctore doc-

* Juſtamond on Cancer, p. 65.

trinæ quidem haud parvæ, ſummique ingenii; opinio tamen hæc haud multum fidei fecit, ſuumque auctorem in controverſiam cum medicis ſummi nominis duxit. Tenebræ igitur denſæ, illis commentis nihil lucis ſuppeditantibus, huic argumento incubant; hinc genus humanum mala dira exinde provenientia adhuc pati damnatum eſt.

DIAGNOSIS.

QUONIAM mammæ aliis morbis, Carcinoma præſertim incipiens ferè exactè ſimulantibus, obnoxiæ ſint, res maximi momenti fit, ut certiores facti ſimus, quænam ſigna ad Carcinoma ab aliis morbis ſimilibus diſtinguendum valeant. Diagnoſis Morborum ſemper perdifficilis et imperfecta eſt; Carcinoma, ut ex ejus ſymptomatis ritè perpenſis clarè elucebit, perpauca, interdum nulla ſigna propria, ſibique peculiaria habet. Hoc præcipuè verum eſt de morbo jam incipiente, cum diagnoſis certa ſummi momenti ſit; nam poſtea, cum jam ulteriùs proceſſerit, in conſpectum veniunt indicia admodum clara, monſtrumque fruſtrà prodentia.

Morbi, qui Carcinoma maximè ſimulant, ſunt,

1mo, Tumores ſtrumoſi, qui interdum tardè et in-

ſidioſè adoriri, minimè rapidè progredi ſolent. Inter tumorem ſtrumoſum et cancroſum hoc maximè intereſt, quod illud, quam hoc, magis latè in initio diffuſum, minùs durum eſt; in ſtruma quoque cutis citiùs rubeſcit, et abſceſſus magis exactè formatur; et nunquam ſentitur ille dolor ſecans, lancinans, Carcinomati peculiaris. Carcinoma præterea et ſtruma eodem ætatis tempore perraro adoriuntur, et in ulcera ſpeciei prorsùs diverſæ abeunt.

2do, Tumores inflammati; indicia verò inflammationis veræ à Scirrhi ſymptomatis diſtinctu haud difficilia ſunt.

3tio, Scirrhi, ſcilicet, ſequelæ inflammationis mammam lactantem afficientis, qui, ſpecie inflammatoriâ omnino exutâ, formam cancroſam induunt. Fertur tumores tales numquam cancroſos fieri *, rectè forſitan quidem, ſi hoc tantum velit, tumores hos non cum ſua indole propriâ cancroſam mutare; nam de mutatione morborum in alios naturæ prorsùs diverſæ nihil vero conſentane-

* Fearon on Cancer, p. 7.

um propofitum effe videtur. Quamdiu autem de hujufce morbi naturâ verâ, causâque proximâ ignoremus, mutatio in partibus ei opportunis, vel minima, fummam attentionem fuo jure fibi vindicat; nam utrum talis mutatio Carcinomati viam poftea ftraverit, nullo modo dicere poffumus.

4to. Mammæ poffunt affici inflammatione lentâ et diuturnâ, quæ in fcirrhum tranfit, et interdum nullâ caufâ evidente, perfæpè vi externâ oritur. Inter tumores hujufmodi et cancrofos, quippe qui pariter á vi externâ fæpè fuam originem ducant, diagnofis perdifficilis eft; nam indicia diftinguentia inter fcirrhum fic dictum fimplicem, et malignum vel cancrofum, præfertim tantum incipientem, apud auctores pofita, haud omni ex parte fufficiunt: quæ de dolore tanquam figno indolem cancrofam clarè prodente, dicta fint *, fortafsè non omnibus placebunt. Ex tempore ætatis quo morbus adoritur, exque fymptomatis antea enumeratis paucioribus vel pluribus in ejus progreffu obfervatis, diagnofis noftra admodum clarior evadit. Dolor quoque gravis et diuturnus fine fluctuatione, vel

* Van Swieten on Aphorifm 492.

febre notabili, vel inflammationis fignis, pro indolis cancrofæ indicio haud admodum ambiguo habetur*.

5to. Tumor totius mammæ paulatim magnam ad molem crefcens nonnunquam oritur. Hic non dolore vehemente, fed tantum moleftiâ, vel quodam fenfu acutiore ftipatur; tumorem verò cancrofum interdum æmulat. Cum autem totam mammam occupat, et rubore, fenfu diftentionis molefto, et affectione generali ftipetur, diagnofis admodum facilis eft.

PROGNOSIS.

De tumore verè cancrofo nihil faufti aufpicari poffumus, quæque de ejus refolutione referantur, fortafsè admodum cautè credenda funt: nam inter fcirrhum fimplicem Carcinomaque incipiens, intercedit difcrimen adeo ambiguum, quod exempla illius feliciter tractati, pro hoc in refolutionem fauftam abiente, fortè decantata fuerunt. Auctoribus plerisque, ut videtur, perfuafum eft, fcirrhum fimplicem Carcinomati femper præire; perperam quidem, ut mihi videtur, nam, tametfi plerumque ali-

* Richter's Medical and Surgical Obfervations, p. 4.

quid mutationis præcefferit, dantur quædam forfitan exempla, in quibus tumor etiam ab initio indolis omnino cancrofæ eft. Si de hoc nos certiores facti, tempusque, quo fcirrhus fimplex in cancrofum tranfit, cognitum effet, multùm ad noftram rem conferat. Quoniam verò de his adhuc ignoremus, nobis reftat incertitudo maximè dolenda, et metus, ne tumor omnis, partem glandulofam adoriens, in ulcus peffimi moris incidat. Ex hac ignorantia quoque fortafsè auctores ferunt, fcirrhum cancrofum interdum in eodem ftatu, per longum tempus manere. Tumor omnis tamen mammam fœminæ provectiore præfertim ætate adoriens, fummam curam meretur; et fymptomatis antea recenfitis ftipatus, ullis remediis ufitatis nec cedens, nec in melius fe vertens, ominis femper peffimi habendus eft.

CURATIO.

Carcinoma, confenfu ferè omnium, five propter fuam naturam fymptomataque probè perpenfa, five propter remedia jam fruftra tentata, pro morbo immedicabili habetur. Medici verò ejus fanationem nunc, ut olim, tentant, et forsafsè in poftero tentabunt. Spes autem, aliis haud parvi no-

minis ſuadentibus, tantum leviſſima, aliis, etiam nulla, nobis relinquitur. Remedia ſive univerſa, ſive topica, ſive utraque ſimul, adhibita fuerunt; et Materia Medica tota perſcrutata fuit, ut inventum eſſet remedium pro hoc morbo certum, fallereque neſciens. Medicamenta plurima laudata fuerunt, immeritò quidem, ut experientia infauſta ſatis ſuperque oſtendit. Eorum multa ab Empiricis indoctis illata fuerunt: Medici verò quidem, ut videtur, parum pro ejus curatione egerunt; nec quomodo pars affecta diverſis morbi temporibus ſeſe haberet, ſatis animadvertêre; nam fabrica ejus, morbo tantum incipiente, fortè haud multum mutatur; poſtea paulatim mutationem inſignem ſubit, remediaque eadem eoſdem ut antea effectus haud præſtare poſſunt. Omnia medicamenta pro Carcinomatis curatione à Medicinæ incunabulis, ad noſtram etiam ætatem tentata, vel leviter perſtringere perdifficile erit; nec fines huic diſſertationi impoſiti hoc ſinent.

Remedia internè adhibita ſunt accommodata ad duo conſilia præcipuè abſolvenda; primo, ad obſtructiones ſummovendas, vireſque corporis reficiendas; ſecundo, ad irritationem malè ſanam ſopi-

endam, quo vires corpori infitæ morbum vincant, fugentque. Pro confilio illo perficiendo medicamenta ftimulantia et tonica è foffilibus; pro hoc narcotica ex herbis deprompta, ufurpata fuerunt. Hydrargyrus, illud medicamentum jure laudatum, in ufum vocatus fuit, avibus quidem adverfis, nam in Carcinomate vero prohiberi debet; quoniam omnia mala fymptomata augere*, eventumque infauftum feftinare videtur. Arfenicum quoque fumma laude elatum, fæpèque adhibitum fuit, tum propter fuam vim tonicam, tum propter aliam fpecificam, qua, ut quibufdam placet, huic morbo quafi dicatum eft. Auctor †, qui primus ejus ufum in Carcinomate fuafit, narrat exempla quædam, in quibus ex ejus adminiftratione integra valetudo rediit. Experientia verò aliorum ‡ minùs faufta fuit; et hoc venenum propter mala diriffima exinde provenientia, cautiffimè adhiberi debet §. Laudata fuerunt quædam præparata è ferro, ferrum præfertim ammoniacale largè fumptum ||; hoc ve-

* Pearfon's Principles of Surgery, p. 253.

† M. Le. Febure.

‡ Juftamond on Cancer, p. 34.—Pearfon's Principles of Surgery, p. 253.

§ Audi Dris. Jeffray, Prælect. Anatom.

|| Juftamond on Cancer, p. 13.

rò apud Medicos haud multum famæ adeptum eſſe videtur. Barytes denique muriata ad hunc morbum debellandum vocata fuit, et, quibuſdam teſtantibus, militavit non ſine gloria*.

Ad conſilium alterum perficiendum, nempè, ad irritationem ſopiendam, Cicuta, Belladonna, Aconitum, Hyoſciamus, Opium, Aquaque Lauro-ceraſi uſurpata fuerunt, et ſingula ſuos fautores habent.

De remediis loco ipſi applicatis perpauca tantum dicenda ſunt. Ex experientia ſatis conſtat, quicquid irritans vel ſtimulans Carcinomati occulto admotum, apertum; apertoque, ulcus largius reddere †. Aer verò mephiticus ulceri admotus mandatus eſt, et haud parum levaminis in quibuſdam exemplis ‡, in uno nupero §, ut fertur, ſanationem perfectam dedit. Videtur tamen medicamenta aliâ externa, et inter cætera arſenicum, nihil boni un-

* Duncan's Medical Commentaries, vol. 4. dec. 2.

† Celſus de re Medica, 232.—Wiſeman's Chirurgical Treatiſes, p. 102.—Richter's Medical and Surgical Obſervations, p. 42.

‡ Percival's Eſſays, p. 74. vol 2,

§ Ewart's Hiſtory of Two Caſes of Ulcerated Cancer, &c. Caſe 1.

quam præbere. Si nihilominùs clarorum medicorum teſtimonio, et libris in noſocomiis ſcriptis, fidem dederimus; metus nobis erit, ne Carcinoma adhuc immedicabile habendum ſit. Medicina igitur nihil valente, ad mammam ſive igne, ſive cauſtico, ſive ſcalpello auferendam, plus minusve confugitum omni tempore fuit. Succeſſus verò hujus operationis in dubium vocatus fuit à quibuſdam, ſcilicet, quibus perſuaſum erat Carcinoma labem totius corporis eſſe. Inter hos eminet Monro primus*, qui dixit, quod ex ſexaginta ægris, quibus partes Carcinomate affectæ, ſe præſente, exciſæ fuerant, quatuor tantum duos poſt annos morbo immunes vixerunt: ex his tres Carcinomate mammæ occulto, quartusque ulcere labii cancroſo laboraverant. Nec hoc valdè mirandum eſt, quoniam ille Medicus celeberrimus in civitate magna medicinam fecit; tractatioque tunc uſurpata, nempè, quâ ſuppuratio promoveretur, minùs habilis fuit; et quoniam æquum eſt putare exempla peſſima ſub ejus conſpectu veniſſe. Huic prorsùs contraria eſt relatio D[r]. Hill †, qui refert, quod ex octoginta et octo ægris Carcinomate vero affectis (quorum octoginta et quatuor ulceri-

* Edinburgh Medical Eſſays, vol. 5.

† Hill's Caſes in Surgery.

bus cancrofis laboraverant), qui fub ejus manu excifionem paffi erant, omnes, duobus tantum exceptis, operationi fuperftites fuêre. Ex his autem quinque tantum, mammas cancrofas habuêre; quarum una, quæ fola ulcere affecta fuit, alteraque ulcera ex excifione fanationem refugientia tulere; tertia in morbum denuò incidit; duæque reliquæ, pluribus poft operationem annis, integra valetudine fruebantur. His verò relationibus utrisque prætermiffis, teftimonia aliorum* audienda funt; hincque fatis clarè conftat excifionem (fi omnia morbo affecta auferentur), fæpè Carcinomate occulto, interdum quoque aperto, affectis, integram valetudinem reducere: ex hac igitur pendet omnis noftra fpes et refugium.

Apud auctores † de tempore, quo excifio perfici debeat, aliquid difcriminis intercedit; ad fcalpellum verò, ut mihi videtur, confugiendum eft, fimul ac nihil dubii de natura morbi relictum fit; et malum, remediis adhibitis nihil obftantibus, adhuc progrediatur. Ægræ tamen operatione femper horrenda perterritæ, plerumque tantum mala,

* Audi Dris. Jeffray, Dris. Monro, Di. Cline, et Di. Cooper, Prælect. Anat. et Chirur.—Vide quòque Pearfon on Cancer, Gooch's Surgery, Fearon on Cancer.

† Pearfon on Cancer, p. 32.—Bell on Ulcers, p. 310.

quæ maximè urgent, lenire, et dolori ſcalpelli permagno moras nectere malunt.

Quoniam Carcinoma tardè, et ſæpè furtim, nec cum inflammationis indiciis adoriatur, vix, ac ne vix quidem, indolis inflammatoriæ haberi poteſt. Cùm verò aliquid proceſſerit, ſigna inflammatoria in conſpectum veniunt, et quicquid ſtimulet, morbum curſu incitatiore progredi facit. Omne igitur remedium inflammationi occurrens, morbo incipienti accommodatum videtur; regimen itaque ſic dictum antiphlogiſticum à medicis haud parvi nominis multùm laudatur. Detractio ſanguinis topica vel etiam generalis, diæta parca ex herbis deprompta, prohibitio potûs meracioris abſoluta, et ſubinde purgatio alvi lenta, haud parum boni conferunt*. Remedia diſcutientia etiam mitiora à quibuſdam mandata, propter mala exinde interdum provenientia, cautè adhibenda ſunt. Fonticulus ſedi morbi proximus haud inutilis habetur, præſertim in Carcinomate occulto, nam in aperto nulla eſt ex ejus uſu ſpes; et tunc magis oportet, nos animadvertere, quo dolor vehemens leniendus, et fœ-

* Pearſon's Principles of Surgery, 242.—Memoirs of the Medical Society of London, 1789.

tor ulceris minus intolerabilis reddendus ſit. Opium internè ſumptum, Cataplaſma Cicutæ dolorem leniunt: et ulcus minus fœtet, ſi Cataplaſmate Dauci vel fermentante coopertum, et acido minerali, vel vegetabili diluto lavatum fuerit; hæc verò irritantia cautè adhibenda ſunt.

Quædam præparata ex Arſenico, Argentum Nitratum, Hydrargyruſque Corroſivus ulceri admota, laudata fuêre, immeritò, ut videtur, nam mala ſunt, niſi cum partes morbo affectas omnino conſumant. Medicamenta unctuoſa, conſenſu ferê omnium, noxia ſunt; quicquid verò admotum mutandum eſt, cùm vel ulcus, vel corpus ægræ totum aliàs ſe habeat Cortex quoque Cinchonæ, infuſioneſque amaræ tenues commendata ſunt. Interea cibis benè nutrientibus, at blandis, parumque ſtimulantibus, et catharticis, ad alvum admodum laxam ſervandam, ſalinis et mitioribus utendum eſt.

Cùm de mamma morbo correpta auferenda ſtatutum ſit, quæritur, an cauterium vel cauſticum medicamentum, vel culter potiùs in uſum vocari merentur. Cauterium noſtris temporibus, et etiam multis abhinc annis neglectum eſt; è duobus re-

liquis Chirurgi plerique hoc, at quidem illo, diverſas ob cauſas magis utuntur. Inter cauſtica Arſenicum, Argentum Nitratum, et Hydrargyrus Corroſivus vulgo uſurpantur, arſenicum verò præſertim, nam ex hoc deprompta ſunt illa medicamenta arcana, quæ, ſua compoſitione et uſu admodum diverſa, plurimum decantantur, et ſine dubio interdum curationem perfectam dedêre. Cum verò ægra nihil refugiat, ſcalpellus omnibus multum præferendus eſt.

FINIS.